maris nostri mediterranei fecimus; est autem multo salsius et amarius, quam mare nostrum, quamvis tam illud quam aliud ex uno fonte maris Oceani effluant, qui salsissimus est. Salsedinis autem illius causas alias ponunt naturales philosophi, alias theologi, alias poetae antiqui. Causae naturales et theologicales patent P. 1. fol. 43. Causa autem poeticalis est huc reservata. Ponebant enim quidam vetustissimi poetarum, Demogorgon quendam, terribilissimum gigantem et maximum terrae filium, de quo multa mira recitant et phantastica, esse inter deos humanos primum omnium, quem etiam antiqui errantes dicere audebant esse primam causam rerum omnium et creatorem, ut patet in diversis veterum carminibus. De hoc ergo Demogorgone ad propositum talem recitant historiam, quae supportat, ipsum fuisse ante lucem firmamenti et tamen terram fuisse, sed opertam caligine. Hic ergo Demogorgon continua caligine affectus taedio Acroceraunios montes conscendit et ex eis ingentem, maximam evulsit molem ignitam eamque primo rotundavit forcipibus, deinde eam in Caucaso monte solidavit malleo, post haec eam ultra Reprobanam detulit et globum illum lucidum sexies undis immersit et totidem eam per auras circumrotavit et hoc ideo, ne ulla umquam posset diminui aut aevi labefactari rubigine et ut agilis ferretur undique; qui confestim se tollens in altum domum intravit poli patrisque sedem omnem complevit fulgore. Ex immersionibus autem aquae ante dulces amaritudinem sumserunt salsedinis et aer ad percipiendos radios lucis ex rotationibus arctus factus est. Haec de illo. Quamvis autem haec et similia videantur esse phantastica in superficie, in medulla tamen sunt veritatibus naturalibus et theologicis plena, ut patet per Jobait [?] in libris de generatione deorum gentilium, in quibus medullam de dictis poetarum elicit dulcissimam.

Salsedo illa maris, ut dicunt nautae, est solum superficiei aquae immixta et infra decem passus dulcis invenitur. Si ita sit, ego experientia non accepi. Mare hoc rubrum temporibus antiquissimis dicebatur mare Erythraeum, ab Erythraeo rege, qui fuit filius Persei et Andromedae et regnavit in regione juxta hoc mare et in insulis ejus et fuit maximae autoritatis, adeo, ut morienti in quadam maris rubri insula caeteris

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;